Zu den

öffentlichen Prüfungen und Redeübungen

der

Zöglinge des Königl. Gymnasiums zu Kreuznach,

am 20ten und 21ten September,

ladet

die Freunde und Gönner desselben,

insbesondere

die Eltern und Verwandten der Schüler, die Königlichen und städtischen Behörden, so wie die Herrn Geistlichen der Stadt und Umgegend,

im Namen des Lehrerkollegiums,

ergebenst ein

der Director des Gymnasiums,

Dr. Karl Hoffmeister.

Enthält: 1) eine lateinische Abhandlung vom Oberlehrer Dr. Knebel.
2) Schulnachrichten vom Director.

Kreuznach, 1839.
Druck und Papier von Johann Friedrich Kehr.

MELETEMATUM
ARISTOTELIORUM

SPECIMEN PRIMUM

SCRIPSIT

Dr. HENRICUS KNEBEL,

SUPERIORUM ORDINUM IN GYMNASIO CRUCENACENSI PRAECEPTOR.



INEST:

De Ritteri, V. C., censura Poeticae Aristoteliae brevis disputatio.

DE RITTERI, V. C.,
CENSURA
POETICAE ARISTOTELIAE BREVIS DISPUTATIO.

Nihil profecto fieri potuit, quod vel majorem bonis artibus utilitatem promitteret, vel veriore gaudio homines harum litterarum amantes afficeret, quam quod nostris diebus a viris doctissimis Stagiritae philosophi libros, nimis diu neglectos, ex tenebris in novam quasi lucem protrahi videmus. Vix ulla enim aetas inde ab instauratione artium elegantiorum vel plus ad nativum horum librorum nitorem restituendum contulit, vel in eorum argumento explicando majore cum diligentia aut uberiore doctrina versata est. Qua in re non est quod laudem *Brandisium*, quem mihi in his studiis ducem atque magistrum fuisse etiam nunc pia mente recolo, non est quod *Trendelenburgi* morum suavitate non minus quam doctrinae copia praestantis merita praedicem, non est quod *Stahrium* multosque alios nostratium atque exterorum extollam; horum enim virorum nomina tanta florent celebritate, ut qui eos denuo aequalibus nostris commendare velit, nihil aliud nisi *ululas Athenas portare* putandus sit. His igitur viris etiam qui nuperrime Aristotelis de Arte Poetica librum edidit, *Ritterus* V. Cl. se accenseri voluit. De cujus consilio quum ex *Welckero* Viro Summo et non uno nomine mihi venerando audissem, non potui non spem concipere, fore ut ex philologi pariter ingeniosi atque omni doctrinae copia instructi opera maxima in aureolum philosophi libellum utilitas redundaret. Neque haec me mea spes fefellit: est enim utique haec editio ita bonae frugis plena totque virtutibus ornata, ut confidenter dici possit, neminem post Herman-

num tantum in hoc nobilissimo fragmento expoliendo praestitisse. Quam laudem quo lubentiore animo ei tribuimus, eo magis dolemus, quod nonnulla, eaque haud levissima, sunt, in quibus a V. Cl. ita dissentire cogimur, ut nostram sententiam non palam profiteri nobis religioni ducamus. Quum vero haec scriptio satis arctis finibus contineatur, totius rei profligandae consilium statim abjiciendum est idque potissimum agendum, ut unum caput eligamus, in quo explicando ostendatur, a novis Editoris ingeniosissimi inventis *assensum cohibendum esse*. Gravissima igitur res, in qua ei adstipulari prorsus non sustinemus, in eo posita est, quod V. Cl. in Poeticae fragmento adhuc servato et ingentes lacunas et foedissimas interpolationes sibi visus est detexisse. In quo quum una ex parte consentientem habeat Hermannum, cujus editionem permultis asteriscis distinctam videmus, ex altera autem mirifice dissentientem, quippe qui (p. 114) interpolationum hunc libellum vel maxime immunem esse censeat; nos, etsi moduli virium nostrarum bene conscii, tamen a nobis non impetramus, ut quidquam horum ex omni parte verum et certis rationibus confirmatum esse concedamus. Etenim, si quid video, hoc subtilissimi philosophi fragmento, quod felici quodam casu nobis superest, prior ex duobus quos Aristoteles de Arte Poetica scripsisse fertur libris aut totus aut saltem maxima ex parte continetur, isque satis integer, si cum ceterorum philosophi librorum habitu comparetur; neque enim plura deinceps verba excidisse aut expulsa esse, neque orationem interpolatam aut suo loco motam esse, tam certis indiciis colligitur, ut credi debeat, multo pejus cum his clarissimi operis reliquiis actum esse, quam cum aliis Aristotelis libris.*) Cui sententiae si ex novitate nihil fere commendationis accedit (longe plurimi enim et doctissimi Poeticae enarratores semper ita censuerunt vel proxime ab ea sententia abfuerunt), nobis etiam in ea defendenda cura atque opera non ponenda erit, sed satis egisse nobis videbimur, si quam infirmis fundamentis contraria opinio nitatur demonstraverimus.

Primum igitur videndum est, ad quem auctorem Ritterus tam „insignem hujus opusculi corruptionem" referat. Si viro perspicacissimo fides habenda est, is fuit

---

*) Pluribus haec exposui in praefatione ad germanicam hujus libelli versionem, quae nimis diu jam in typographi scriniis latet, nunc tandem propediem in lucem proditura.

homo quidam inepti judicii, (p. XVIII.) „vir pusillus", (p. XIX.) „serioris aetatis scriptor et grammaticus (isque ineptissimus et misellus ludimagister), quem unus certe locus Aristarcho aetate minorem, et alius Zenone Stoico juniorem ostendit", praeterea „homo sterili ingenio, varia sed incondita lectione, doctrina vix mediocri, fastu non modico, stili et orationis ignarus", (p. XX.) deinde „scholae Peripateticae alumnus quidam ingenii dotibus parum ornatus, in litteris multum sed prave versatus, grammaticis vix imbutus, qui diu post Aristotelem sed certe ante tertium a Christo nato saeculum vixit", (p. XXI.) tum „Crispinus quidam male interturbans", (p. 257.) denique „homo futilissime argutans" (p. 280.). En egregiam habes, candide lector, conviciorum congeriem: quae si omnia in unum hominem cadent, is profecto Deos vel maxime iratos habuisse censendus erit, neque mirum est quod ipsum Ritterum uno certe loco (p. 194) nescio quo misericordiae motu inductum videmus, ut „viri cujusdam eruditi sed subinepti" vocabulis infelicissimum mortalium insignire satis habuerit. Quod ne de alio criminis socio dictum existimemus, ceteri loci vetant, quibus omnes pulcherrimi libri corruptelae ad unum auctorem referuntur. Verum enimvero quaeritur, quo jure Crispinus ille tam male audiat. Ad quod respondere longum est: itaque haec uno in conspectu posuisse nunc quidem sufficiat, quoniam ex tota hac disputatione apparebit, num merito suo reus, si modo est aliquis, tam vehementer vapulaverit. Unam tamen quaestionem hoc loco attingi, et, si fieri potest, profligari fas est. Quod enim vir doctissimus objicit, uno loco interpolatorem Aristarcho aetate minorem, et alio eundem Zenone Stoico juniorem ostendi, id si certum atque indubitatum esset, nos de Aristotelis verbis certe hic illic interpolatione corruptis amplius dubitare non sineret. Quamobrem sane diligenter videndum est, quibus indiciis fretus vir eximius hoc contendat. Aristarcho igitur minorem esse personatum, quem perhibet, Aristotelem ex eo concludit, quod is cap. 24, 9. exemplum quoddam velut e *Niptris* petitum laudet, qui locus est Odyss. T. 172—248: etsi vero hujusmodi nomina partibus carminum Homericorum multo ante institutam scholam Alexandrinam in vita communi indita fuisse concedit (nec mehercule id negare poterat), tamen in *Niptris* referri illum locum potuisse praefracte negat, antequam quae nunc libro XIX. leguntur secreta a ceteris et in unum conjuncta essent, h. e. antequam Odyssea in

viginti quatuor rhapsodias distributa esset; nam quae illic narrantur a versu 1. usque ad 334, ubi *τὰ νίπτρα* (Ulixis lavatio) vere incipiunt, ea *nihil per se cohaerere cum lavatione Ulixis.* Hoc autem nimis confidenter pronuntiatum esse facile est ad demonstrandum. Sicut enim vulgus ubique minime curiosum est in vocabulis usurpandis eaque modo latiori modo arctiori potestate adhibet, ita etiam ab illorum temporum hominibus factum esse per se probabile est. Neque tamen hac probabili ratione assumpta rem confecisse nobis videremur, nisi etiam similia exempla e bonis scriptoribus petita in partes vocare possemus. Sed ecce! adest ipse Aristoteles: nam cap. 16, 5. exemplum quoddam velut ex *Ἀλκίνου ἀπολόγῳ* petitum affertur, quod Odyss. 8, 521 seqq. legimus, quum nono demum libro Ulixes Alcino fata sua narrans inducatur. Quod sane fieri non poterat, nisi celeberrimo carmine in libros nondum distincto: tunc enim non solum ipsam narrationem sed etiam res proxime antecedentes vel subsequentes hoc nomine comprehensas esse prorsus consentaneum est; neutiquam vero id facere licuit, postquam grammatici Alexandrini Odysseam in viginti quatuor libros disposuerunt. Etenim qui carminis in libros distincti exemplo usus esset, is si rem in octavo libro relatam eo nomine signabat, quo libros proxime posteriores nuncupare consueverant, profecto nimis stupidum sese ostendisset. Quae si recte sunt disputata, idem judicium faciendum erit de loco, quo Ritterus suam sententiam firmare conatus est, tantumque abest, ut in hoc posterioris aetatis vestigia appareant, ut contrarium ex eo effici posse videatur. At enim Ritterus, quae ejus est prudentia, hoc firmamentum caute subtraxit, cum toto capite subditicium judicans locum a nobis in partes vocatum. Quod de reliquis capitis partibus quam vere aut secus sit pronuntiatum, postea demonstrabitur, de hoc loco impraesentiarum omnem scrupulum exemisse nobis videmur. Quod ad alterum indicium attinet, quo Ritterus interpolatorem Zenone Stoico minorem se deprehendisse putat, brevioribus esse nobis licet. Namque Dionysius Halicarnassensis et Quintilianus quum tradiderint, Aristotelem atque Theodectem tres tantum partes orationis statuisse, *nomina et verba et convinctiones*, articulos a Stoicis esse adjectos, aperte cum his pugnat Poeticae cap. 20, ubi in ceteris orationis partibus etiam articuli enumerantur. Unde Rittero judice consequitur, ut haec ab Aristotele scripta esse non possint, sed potius ad interpolatorem Zenone Stoico juniorem sint

referenda. Nos vero non dubitamus *Classeno* V. D. (de primordiis Grammaticae graecae p. 60.) accedere Poeticam ab utroque scriptore ignoratam aut neglectam esse judicanti. Nihil dico de fide Dionysii a multis doctissimisque viris impugnata (vid. Zeitschr. für Alterthumswiss. 1838 p. 739.), nihil de Quintiliano summi philosophi, quem non intellexerat, censore parum idoneo. Id unum considerari velim, num adeo mirum sit, utrumque scriptorem totum in Rhetoricis occupatum Poeticam, siquidem noverant, non inspexisse. Quodsi hoc ad locum aliquem ab Aristotele abjudicandum sufficeret, eodem jure Rhetoricorum lib. III. cap. 2. ab aliena manu insertum censeri posset, ubi verbis *ὄντων δ᾽ὀνομάτων καὶ ῥημάτων ἐξ ὧν ὁ λόγος συνέστηκεν* duae tantum orationis partes statuuntur. Sed haec hactenus: satis enim demonstratum est, aetatem interpolatoris, quem Ritterus sibi finxit, ex his definiri non posse. Quod autem alio loco (p. XXI.) dicit, eundem certe ante tertium a Christo nato saeculum vixisse, libenter ei concedimus: id enim in verum Aristotelem aeque atque in quemvis alium cadit.

Verum enimvero fatendum est, his omnibus Ritteri sententiam labefactatam quidem, sed nondum profligatam atque eversam esse. Etenim si interpolatoris aetas certis finibus describi non potest, ex eo non statim efficitur, omnino tales interpolationes aliasve corruptelas, quales vir egregius deprehendisse sibi videtur, in Poeticam non esse illatas: si hic ut insons criminis est dimittendus, ab alio quopiam (vel a compluribus) idem commissum esse potest. Videamus igitur, quaenam hujus, quisquis ille est, crimina accusator detulerit. Sunt autem sat multa numero eademque gravissima. Primo enim loco (p. XVIII.) „non universa (*τὰ καθόλου*) consectatur, sed exemplis poetarum insigni studio adhaerescit iisque conquirendis unice studet"; secundo „res quasdam ad grammaticam vel litterarum historiam pertinentes, sed ab operis argumento prorsus alienas afferre gaudet"; tertio (p. XIX.) „sua furari solet Aristoteli, sed vel sic committens vitia satis manifesta"; quarto „idem sua inventa adeo amat, ut eadem bis vel ter ingerat"; quinto „non via et ratione justae doctrinae locos persequitur et explicare sustinet, sed res externas et fortuitas et mutationis vicibus subjectas describere amat"; sexto „genuinae disputationis ordinem turbavit et ita implicuit, ut veri auctoris consilium et instituti ratio vix agnosci possit"; septimo „auctores

iste laudat *) et multos et in his viros perobscuros"; octavo „contra idem summos poetas inepte vituperavit"; nono „iis qui tragoedias et epopoeias scripturi sunt ridicula suadet"; decimo denique loco complura crimina comprehenduntur, veluti quod „stilus ejus ubique summam infantiam prodit", quod „multa enuntiata sublimia pendent et omni structura carent", quod „quae ipse cognita habet ita memorat, tamquam eadem legentibus aeque ac sibi nota essent, ideoque saepe obscura et quasi oracula eloquitur." Accedit (p. 275.) quod „lectores suos decipere conatus est." Ut quam paucissimis omnia absolvamus, (p. XXI.) „excerpendo, contrahendo, resecando, sua pluribus locis interponendo librum pulcherrimum misere truncavit et corrupit."

Vides, benevole lector, quam egregie Ritterus sibi constet; etenim post eximiam, quam supra cognovimus, interpolatoris sui adumbrationem quid praeclarius proponere poterat hac criminum farragine? Quae etsi non ita sint ordinata et disposita, ut Logices praecepta jubent (septimum enim accusationis caput primo contineri vel certe ex eo consequi videtur, et decimo ejusdem accusationis capite diversissima comprehenduntur), etsi hic illic ab homine non prorsus sana mente destituto ea committi potuisse vix tibi persuadeas (quis enim, ut hoc utar, unquam alteri quidquam eo consilio *furatus est*, ut eidem clam id redderet?); nos tamen haec nihil moramur, sed singula capita eo, quem praescripsit accusator, ordine pertractabimus.

Quod igitur primum objicit, personatum Aristotelem universa non curare, sed poetarum exemplis conquirendis unice studere; id sane leviculum est. Ad hoc comprobandum Ritterus locos indicare debebat, quibus cum justae institutionis dispendio exempla poetarum inutiliter acerventur. Sed quid affert? Cap. 16. et majorem cap. 25. partem nos legere jubet. Quid igitur his locis factum videmus? Cap. 16. ad singulas agnitionis species illustrandas unum vel duo vel ad summum tria exempla adhibentur. Ubi jam illud exemplorum ex poetis conquirendorum stu-

---

*) H. e. *affert*; nemo enim eorum, quos Ritterus nominat, cum laude inducitur, plurimi etiam cum reprehensione. Quamquam hoc non latinitatis causa moneo, sed quia his, quae deinceps sequuntur „*contra* — — *vituperavit*" facile aliquis in errorem duci possit.

dium? „At fortasse non *universa consectatur.*“ Cave credas; justum modum ita servat, ut nisi re quantum satis erat exposita ad exempla se non convertat. Idem dicendum est de cap. 25. Nusquam enim ad unam rem declarandam ultra tria exempla allata esse videmus. In his vero neque insigne quoddam exempla cumulandi studium agnoscere possumus neque quidquam a consueta Aristotelis via ac ratione alienum. Etenim si hic cum Rittero „putidam diligentiam“ „obscuri cujusdam grammatici fucum fecisse hominibus credulis“ judices, vide quid tibi de multis Rhetoricorum locis statuendum sit. Nonne ibi libri III., cap. 9. ad unam eandemque rem explicandam *decem* exempla sese excipiunt, eaque omnia ex una Isocratis oratione deprompta? Multo major etiam exemplorum luxuries conspicitur ejusdem libri cap. 10, ubi *τῆς κατ' ἀναλογίαν μεταφορᾶς* prope *triginta* exempla afferre non dedignatus est. Quid igitur de his multisque aliis locis (veluti lib. II., cap. 23.) dicemus? Scilicet si Ritterum ducem sequimur, eos Aristoteli vindicare non possumus; nam si in Artis Poeticae capitibus, quibus vir doctissimus offenditur, satis angusta exemplorum copia ferri non potest, haec certe largitas prorsus non erit ferenda. Num igitur omnes hujusmodi locos e Rhetoricis expellemus et hoc pulcherrimum opus eodem modo mutilabimus, quo Poeticam truncare conatus est Ritterus? Id vero nemo in animum inducet. Unum igitur restat, ut Ritterum nimia quadam subtilitate se decipi passum esse putemus. Quae autem praeterea vir egregius in his Poeticae partibus reprehendit, de iis (quum omnia hac scriptione complecti non possimus) postea suo loco dicemus, jam ad secundum accusationis locum transituri.

De grammaticis igitur vel aliis quibusvis rebus ab argumento proposito prorsus alienis disputationes immiscere hisque quodammodo institutum opus variare et quasi coloribus distinguere, id vero tantum ab Aristotelis consuetudine abhorret, ut, si talia usquam deprehendantur, ea ab Aristotele non profecta esse confidenter dicere possimus. Atqui Ritterus hujusmodi indicia cap. 20 et c. 21, 12 et c. 22, 8 deprehendit. Audio; sed nostris ipsorum oculis videamus, quid rei sit. Et primum non bene factum est, quod Ritterus vicesimum Poeticae caput ad hoc probandum elegit; nulla enim totius libri pars tam manifestis scatet vitiis et omne genus corruptelis; ita ut qui haec velit reprehendere, neque Aristotelem neque

interpolatorem quendam, sed temporum injuriam, quae hic immane quantum grassata est, incusare videatur. Vix erit, cui Ritterus persuadeat, hujuscemodi portenta, qualia § 6 — 7 leguntur, vel ab ineptissimo interpolatore potuisse scribi; talia enim effutire non stupiditatis est, verum extremae dementiae. Saepe ex his artis criticae ope vix sanam sententiam elicias; quid ipse auctor scripserit, ne conjectura quidem satis probabili assequimur: quo igitur modo e verbis tam insanabili vulnere afflictis aequum de scriptoria indole judicium fieri potest? „At" inquit Ritterus", ipsae res hoc caput Aristoteli abjudicandum esse clamant: nam quae hic docentur, ea pro sese sola posita sunt et nullo vinculo cum ceteris cohaerent; nihil ad definiendam dictionem poeticam inde sumi potest, immo prima artis grammaticae rudimenta inepte propinantur." Quibus autem in rebus haec disputatio versatur? De partibus orationis, in quibus numerantur elementum, syllaba, convinctio, nomen, verbum, articulus, casus, oratio sive enuntiatio, generales traduntur definitiones, et ex his (ut unum statim afferam) ita aptum est sequentis capitis initium, ut iis demptis etiam novas lacunas agnoscere cogaris. Quis enim credat, Aristotelem statim post absolutam illam, quae vicesimo capite continetur, disputationem haec intulisse: ὀνόματος δὲ εἴδη κ. τ. λ.? Tum vero philosophus a se ipso descivisset, quippe a cujus mente nihil alienius sit desulterio illo disputandi genere. Nemini autem haec nimis vulgaria et summi philosophi ingenio indigna videri debent; omnis enim humana scientia parvis initiis orsa ad altiora tendit, et Aristotelem ne haec quidem despicatui habuisse ex iis apparet, quae Rhetor. III., 5 de discernendis nominibus masculinis et femininis et neutris, de unitate et paucitate et multitudine observanda et consimilibus traduntur. Qui haec praecipienda duxit, is certe etiam res in hoc capite prolatas necessarias existimare potuit. Perobscura nonnulla hic leguntur, quia corrupta sunt, alia eandem ob causam etiam falsa vel absurda; sed aliquotiens tamen vir doctissimus praepropere inepta judicavit, quae cautius reputanti non sana videri non possunt. Sic p. 229 Ritterus: „hic homo", inquit, „Aristotelis sententiam in libro *de Interpretatione* propositam adeo non intellexit, ut *βαδίζει* pro voce *non significante* habuerit." Verum „hic homo" non *σημαῖνον* dixit, sed *τὶ σημαῖνον* h. e. *aliquid* sive *substantiam aliquam significans*; *βαδίζει* igitur huic non est vox *non significans*, sed *vox substantiam*

non significans. *Verbo* enim ex Aristotelis sententia (de Interpr. cap. 3.) semper *σημεῖον* (ein Merkmal) subjecti, quod vocant, enuntiatur. Sed fortasse jam nimis prolixi de his fuimus: nemo enim fere infitias ibit, quae Ritterus ex his colligi vult, non esse consentanea. Restant duo ejusdem generis loci, quibus Ritterus interpolationis suspicionem confirmari putat. Quorum priorem, qui c. 21, 12. legitur, ab Aristotele scribi potuisse negat; illum enim non canones grammaticos perscribere voluisse. Num vero Rhetor. III., 5. hujusmodi canones perscribere constituerat? Attamen ibi *Protagora* duce nonnulla de nominum genere rite observando monenda esse censuit. Quodsi haec ipsa, quae in Poeticae loco legimus, gravibus vitiis laborare et reprehensioni obnoxia esse objicitur, non librariorum inscitiam incuriamve ad scriptorem excusandum afferimus, etsi res est notissima, quam facile singulae littera per se positae permutari et corrumpi potuerint; sed ad hoc solum lectores animos attendere velimus, qua aetate Aristoteles vixerit, et qua conditione illis temporibus grammatica doctrina fuerit, si modo eam tum extitisse vere dici potest. In his quicunque ad reprehendendum tam pronos sese praestant, ea recordentur, quae olim summus vir Fr. Aug. Wolfius (Prolegg. ad Hom. p. CLXVII.) pronuntiavit: „primi conatus tales res ad praeceptionem artis revocandi adeo sunt difficiles, ut *summis ingeniis* in iis labi liceat honeste, quae uno saeculo post vix tirones impune nesciant.“ Quae si reputaveris, ipsi ingenii lapsus tibi argumento erunt, talia multo post Aristotelem non potuisse scribi ab homine vel mediocriter docto. Neque plus virium ad probandum ea, quae Ritterus vult, alter locus habet, qui est cap. 22, 8. In his viro eruditissimo displicet, quod Ariphradis, hominis obscurissimi ineptissima reprehensio ex secreto recessu excitetur. Ineptam esse hanc reprehensionem, ipse Aristoteles demonstravit; num vero philosophi temporibus homo nobis sane ignotus in obscurissimis fuerit, an fortasse mutabili aura populari aliquamdiu, quod saepe fit, immerito celebratus postea in oblivionem inciderit, id cum sexcentis aliis ignoramus. Omnino Ritterus multus est in accusanda obscuritate hominum, qui a scriptore vel ejus interpolatore commemorantur; sed quam vana sit haec querimonia, tum demonstrabimus, quum ad septimum locum pervenerimus: nunc ad tertium crimen accedamus.

Est autem gravissima *furti* criminatio, neque vir prudens ea utetur, nisi forte in promptu sunt, quibus reum coarguat, praesertim quum fur rem surreptam non in suum usum convertisse, sed legitimo domino tacite reddidisse dicitur. Quae enim res criminis commissi indicium faciet? Sed nimirum hoc non opus est; iste fur enim se ipse prodit, committens vitia satis manifesta in iis, quae Aristoteli surripuit. Haec tamen vitia nisi melioribus convinci argumentis possunt, quam quae Ritterus in annotatione ad capitis 20. §§ 8, 9, 11, 12. attulit, vereor ne neminem ad suam sententiam trahat. Quam enim gravissimam inter verum et personatum Aristotelem dissensionem § 11. deprehendisse sibi visus est, hanc jam supra (p. 10.) nullam fuisse ita ostendimus, ut Ritterus ipse potius quam qui hoc scripsit, sive is Aristoteles sive alius quispiam est, erroris insimulari debeat; cetera autem, quae vituperantur, tam sunt levia, ut in his temporis augustiis ea refellere supersedeam. Neque felicior Ritterus mihi fuisse videtur in iis, quae de cap. 24, 10 dixit, quem locum ex cap. 15, 7 transcriptum et paullo dilatatum putat. Verum nonne ipse Aristoteles, quae ibi dixerat, data occasione iterum inculcare potuit, praesertim altero tanto auctiora? Neque hac re offendi debemus, quod scriptor, de epicorum carminum argumentis disserens, tragoediarum exempla proferat. Quum enim cap. 2 et 3 et 4 et praecipue c. 5 epicam et tragicam poesin in similibus, vel potius iisdem versari argumentis demonstrasset, quum non uno loco (videsis mihi hujus, quod vir eximius laudat, capitis 15, § 8, et cap. 17, 5.) ad tragicam fabulam illustrandam carminibus epicis usus esset; quid eum impedire debebat, adhibitis tragoediarum exemplis epicam fabulam explicare? De Sophoclis reprehensione, quae Ritterum tam male habet, loqui nunc nihil attinet; postea ad hanc rem recurremus. Interim optandum est, ut omnes in reprehendendis magnis ingeniis modestiam per totum Poeticae librum conspicuam imitari studeant. Quod porro locus cap. 25, 5. in furtis ab interpolatore commissis ponitur, sane quam mirum est; nam Ritterus ipse in Annotatione nihil nisi *respici* paule ante (24, 8) dicta dicit et de brevitate queritur, qua Ἕκτορος δίωξις supra memorata affertur. Hae autem res aptae sunt, si Aristotelem ipsum hujus loci auctorem esse ponimus (quid enim opus erat modo dicta pluribus repetere?), ineptissimae, si alium. Rectissime vero hoc nostro loco colligitur, epicae poesis finem in tradendis rebus, quae contra

artis alicujus praecepta delinquunt, esse ut admirationem faciat (τὸ ἐκπλήττειν); nisi enim poeta hunc finem propositum habuit, temere et propemodum pueriliter eum res tam mirabiles effutisse sumamus necesse est. Quae omnia si recte sunt disputata, etiam furti crimen ab accusatore ne probabiliter quidem comprobatum est.

Quod autem quarto loco Ritterus interpolatori suo vitio dat, eundem sua inventa adeo amare, ut ea bis vel ter ingerat, hoc ita comparatum est, ut nesciam an seria refutatione indignum sit. Exemplis, quibus ad corroborandam opinionem suam vir acutissimus utitur, duo alia opposuisse satis habeo ex iis Poeticae partibus, quas pro Aristoteliis ipse agnoscit. Ac primum capitis 5. initio eadem dici videmus, quae in extrema capitis 2. parte philosophus docuit; deinde sicut in fine capitis 12. eandem formulam repetitam cernimus, qua scriptor idem caput inchoaverat, ita ad finem cap. 14. eadem sententia recurrit, a qua incipit cap. 13. Quamquam haec apponere non admodum necesse erat, quae ex aliis Aristotelis et optimi cujusque scriptoris libris multis consimilibus augere facile magis quam opus est; quilibet enim intelligit, in hac re scriptoris culpam non cerni, sed ingenii potius lusum quendam novi editoris.

Nova accusandi materia inde petitur, quod interpolator res externas et fortuitas et mutationis vicibus subjectas describere amet: id quod ex capite 12. et cap. 18, 1—3. cognosci posse Ritterus putat. Verum est de externa tragoediae forma cap. 12. agi, verum etiam hanc formam fortuitam et mutabilem fuisse, id quod vel ex hodiernae tragoediae forma veteri illi tam dissimili apparet. Sed num ideo Aristoteles partes externas, in quas tragicum carmen dispescitur, prorsus non attingere debebat? Sin de his etiam nonnulla saltem inserere fas erat, nisi philosophus officio suo deesse vellet; nonne eum externas carminis partes externis quoque signis et indiciis distinguere, et, ut Ritteri verbis utar, ulnam et normam adhibere oportebat? Sed unum in his est, quod prae ceteris viro doctissimo displicet, definitionem dico *τῆς παρόδου*, quae illi nova et ab interpolatore excogitata videtur. Mihi contra gravissimo argumento, Pseudaristotelem, quem R. perhibet, non excogitasse suam, eamque novam *τῆς παρόδου* definitionem (ut omittam sterile hominis ingenium), Plutarchi locus est

(*An seni gerenda sit res publica*, c. 3.) ab ipso Rittero laudatus: ex hoc enim apparet non solum apud Plutarchum, sed etiam apud eum, cui hic sua debet, hoc nomen ita usurpatum fuisse, ut e vulgari hominum usu atque consuetudine petitum esse videatur. Quod ad capitis 18. § 1—3. attinet, de rebus externis et mutationi obnoxiis ibi non agitur, verum de fabulae implicatione et solutione et de quatuor tragoediae generibus: haec igitur non recte huc referuntur. Quamobrem totum locum silentio praeterire possemus, nisi in his luculentum se offerret testimonium, quam inconsiderate saepe res gravissimae tractentur (p. 212 seq.). Nam casu factum est, ut nomen quarti tragoediarum generis exciderit. Sed Ritterus, cui infelix ille interpolator semper pro omnibus scribarum peccatis poenas luit, non solum pro certo et manifesto habet, hujus hominis culpa factum esse, ut hoc nomen omissum sit, sed etiam causam nobis aperit, qua id commissum esse sibi persuasit. In hac tamen causa exponenda nescio quo casu minime sibi constat, verum primum ille „scriptor nullius judicii ingeniique sterilis" hanc quartam tragoediae speciem neque definitione illustrare neque nomine consignare (quod profecto sterilissimi est ingenii documentum!) *potuit*," deinde vero „exemplorum desiderium hunc hominem abripuit, ut nomen quarti generis ponere *oblivisceretur*." Si oblitus est, potuit certe; quis enim ea facere obliviscitur, quae prorsus facere non potest?

Sed hic pedem sistere cogimur. Spatium huic scriptioni concessum paene egressis reliqua non ut res postulat exponere, sed paucis modo significare nobis licet. Quod igitur sexto loco Ritterus conqueritur, genuinae disputationis ordinem in nonnullis locis, quos pro insiticiis habet, turbari et ita implicari, ut veri auctoris consilium et instituti ratio vix agnosci possit, de his accuratius et copiosius disputare nunc eo minus opus est, quod capita 12. et 20., in quibus vir clarissimus praecipue hoc commissum esse opinatur, non inutilia, sed fere necessaria continere ad poesis formam penitus perspiciendam et plane cognoscendam supra (p. 13 et 10.) non obscure significavimus; melius tamen hoc demonstrare conaremur vera totius libri dispositione proponenda, si spatium daretur. Septima autem criminatio, qua auctores et multos et in his perobscuros ab interpolatore laudari docemur, partim ad primum accusationis caput pertinet, quod satis nobis examinasse momentoque

suo ponderasse videmur, partim errore quodam in verbis deligendis orta est: non enim *perobscuros* viros dicere fas erat, sed *nobis plane ignotos*. Quodsi haec ratio idonea esset ad librum aliquem Aristoteli abjudicandum, nullus magis pro supposito habendus esset praeclaro illo de Arte Rhetorica opere: ex hoc enim prope quinquaginta, si jam liceret, nomina proferre possem aliunde non cognita. Cur autem, quod in uno opere Aristotelis aequo animo ferimus, in alio reprehenditur? Mihi quidem de his omnibus idem dici posse videtur, quod supra (p. 11.) de *Ariphrade* diximus. Verum quid sibi velit octava illa accusatio, „ab eodem viro pusillo summos poetas vituperari," vix assequaris. Num haec Sophocli et Aeschylo reverentia debetur, ut eos erroris vel levissimi peccati arguere nefas sit? Hoc unum quaeritur, utrum recte hi poetae reprehendantur an secus. Sophocles autem nisi uno loco (24, 10) non vituperatur (nam raro aliquid factum esse (cap. 14, 17) sine probro dici potest), et Aeschyli reprehensionem sagacissimus editor ex corruptis verbis c. 18, 5. demum enucleavit. Nimio quodam animi ardore Ritterum abreptum dixeris et haec scribentem et nono loco ridicula quaedam interpolatoris praecepta (cap. 18, 3. et 24, 3.) carpentem; quicunque enim hos locos oculis non praestrictis consideraverit, ridiculum non in scriptoris verbis, verum potius in explicationis calumnia positum esse intelliget. De criminibus denique ultimo accusationis loco delatis nisi singulis locis diligenter examinatis disputari non potest: cui operae quum fines hujus scriptionis non sufficiant, in aliud tempus eam differre praestat.

Finem igitur huic scriptioni imponamus: qua quid profecerimus, non nostri est judicii; satis nos assecutos esse putabimus, si, quae nullo alio nisi veritatis studio ducti scripsimus, aequis harum rerum existimatoribus non prorsus inutilia videbuntur.

